



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

II. Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

per filium, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. Item: Gratia exuberat supra dictum. Cumq; erigimur fide, & accipimus remissionem peccatorum, filius Dei vere est efficax, & voce Euangelij dicit consolationem in cordibus, ac fide simul accipimus imputationem iustitiæ seu reconciliationem, & Spiritum sanctum, & efficiamur hæredes vitæ æternæ, gratis, propter Christum. Hæc omnia comprehendit dictum: Iustificati fide pacem habemus. Et Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Rom. 5. Iustificati sanguine ipsius seruabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia, ac præcipue propositio epist. ad Rom. cap. 3. & confirmatio cap. 4.

CONTRA.

I. ARGUMENTVM.

Vbi multa simul sunt, non est ponenda exclusiua,
In conuersione multa simul sunt, vt, contritio, fides, dilectio, bonum propositum, spes, & aliæ virtutes,
Ergo non est dicendum, Sola fide iustificamur.

RESPONDEO ad minorem: Quanquam multæ virtutes simul sunt in conuersione, tamen non sunt causæ seu merita iustificationis, id est, remissionis peccatorum & reconciliationis & viuificationis, & donationis vitæ æternæ: Sed solus filij Dei obædientia, est causa seu meritum iustificationis. Hic est propitiator, ut ad Romanos 3. dicitur. Et Iohannis 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

II. ARGUMENTVM.

Impossibile est, vllam rem esse iustam sola noticia,
Fides est tantum noticia,
Ergo non est dicendum, sola fide.

RESPONDEO ad minorem: Fides non significat hic noticia, qualis est in Diabolis, sed comprehendit noticia omnium articulorum fidei, & fiduciam in voluntate acquiescente in Deo propter mediatorem, agnita misericordia in promissione. Quia fides de qua Paulus loquitur, est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito assentimur, ac simul etiam promissioni gratiæ, cum quo assensu inseparabiliter coniuncta est fiducia acquiescens in Deo, iuxta promissionem. Sed noticia præcedere necesse est, quia noticia sunt apprehensiuæ. Et in hoc ipso assensu filius Dei est efficax, dicit voce Euangelij consolationem in corde tuo, ostendit voluntatem Patris, retrahit cor ex inferis, & viuificat te, & dat arrabonem Spiritum sanctum, qui accendit læticiam & inuocationem in corde, iuxta dicta: Accipitis Spiritum clamantem abba Pater. Item: Effundam super domum
25 Dauid

David Spiritum gratiæ & pacem, &c. Quod autem fides sit affectus promissioni gratiæ, manifestum est ex cap. 4. ad Romanos, ubi Paulus correlatiue copulat promissionem & fidem. Ideo ex fide gratia, ut sit firma promissio.

III. ARGUMENTVM.

Fide sumus iusti,

Fides est opus,

Ergo operibus sumus iusti.

RESPONDEO ad maiorem: Propositio hæc, Fide sumus iusti, intelligitur correlatiue, videlicet per misericordiam summi patris propter Filium Dei, & id beneficium oportet fide accipi. Quam enim fides est excellens virtus, tamen etiam est imperfecta & lapsiva. Et hoc vult doctrina Ecclesiæ, credentes per misericordiam propter Filium Dei accipere remissionem peccatorum & reconciliationem ac placere non propter propriam dignitatem. Ideo inquit Paulus, Sumus dilecti in dilecto, id est, propter filium. Alijque videntur responsiones, quas hoc loco omitto.

III. ARGUMENTVM.

Iusticia est obedientia secundum omnes virtutes, seu iuxta totam legem, seu conformitas cum Deo,

Fides non est omnes virtutes.

Ergo non est iusticia.

RESPONDEO. Maior est vera de iusticia legali. Quia vero legis iusticiam (scilicet integram obedientiam interiorem & exteriorem) non habemus, hanc ipsam ob causam imensa misericordia patefecit Deus promissionem de gratia, & imputata iusticia propter meritum filij mediatoris. Et simul fit incoatio obedientiæ huius conformitatis cum Deo, iuxta dictum 2. Cor. 3. Transformatur in eandem imaginem, tanquam à Domini spiritu.

V. ARGUMENTVM.

Deus iustificat,

Deus est dilectio,

Ergo dilectio iustificat.

RESPONDEO. Concedo totum, si sine ambiguitate argumentum intelligatur. Deus est dilectio, scilicet, qua nos diligit, ad illius essentia vere ac serio diligens homines propter filium. Et hæc dilectio, qua Deus nos diligit propter filium, iustificat. Huius propositionis correlatiua est: Fide iustificamur, id est, hac fide, qua agnoscimus & statimur nos diligi propter filium. Aduersarij vero cogitant, quod iustos esse dilectione, qua homo diligit Deum.